





Leges docentium et disputant. in acad. Witte

DECANUS,
SENIOR, ET PRO-
FESSORES PUBLICI FA-

cultatis Philosophicæ in Academia
VVittebergensi,

Omnibus & singulis, qui
Studia Philosophica opera privata
adjuvare volunt,

S. P. D.



VVITEBERGAE,
Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.


Anno cl^o Id^o CVII.

Actus gubernationis in anno 1711

DECANUS
SENIORES

PROFESSORES PUBLICI

Omnia & singula




VITTEBERGA

Typis Crammii et Johannis Gormanii

Anno 1711





Leges Dei optimi ma-
ximi inventum, & prudentum ho-
minum decretum esse, sat decanta-
tum est apud omnes, sine quibus
nulla Respublica, nulla societas,
nullum Collegium florere & diu-
turnum esse potest. Lex enim quid cuique facien-
dum omittendumve sit, præscribit. Etsi verò su-
pervacaneum esse videatur, (sicut quondam apud
Spartanos Pausanias judicabat) nullam præscam re-
novare legem, quod legibus conveniret auctoritas
in homines, non hominibus in leges: tamen ubi
vel ignorantia vel malitiosa audacia, in veteres leges
peccatur, eas repetendi, & novis civibus inculcandi
necessitas maxima affertur. Ac quod de rebus publi-
cis in genere diximus, id de Academia ejusque Facul-
tatibus dictum putamus, quæ suas leges, suum vin-
culum & quasi animam propriam habent, sine qui-
bus studijs communibus haud fructuosè consulitur:
In specie verò Facultas Philosophica, cui Studio-
rum Philosophicorum gubernatio commendata,
prudentissimis & utilissimis legibus jam inde à prin-
cipio fundatæ Academiæ, ad bonum discipulorum
utilum est circumscripta, ut constet, quid tum do-

centes, tum discipulos in studijs Philosophicis facere juxta leges, conveniat. Cum enim discipulorum ingens esset hic numerus, voluit primus Academiae fundator, ac legum nostrarum lator, eas tales esse, ut inde omnes discipulos fructum insignem caperent. Proinde duo quasi genera docentium in nostra Facultate esse voluit. Vnum est Professorum publicorum, qui salario electorali sustentati, publice artes profiterentur, discipulisque sine ipsorum *διδάκτωρ*, artium & linguarum cognitionem liberaliter communicarent. Alterum est eorum, qui sibi consilij de eruditione haud vulgari in artibus & linguis, sive illi sint Magistri sive etiam Doctores, sese ordinarijs Professoribus sponte adjungunt, & studiorum quandam *κυβέρνησιν* seu *συναρχίαν* (Majores nostri nominant Regentiam) appetunt, studiaque Philosophica conjunctis viribus, cum publicis Professoribus adjuvare cupiunt. Horum promptum, studia communia juvandi, animum, magnopere laudamus eorumque conatibus favemus, quod in ipsis eum animam deprehendimus, qui & suae eruditionis suppellestem augere, & partem illius in commune bonum conferre non dubitant. Quia verò hi saepe novitij, & legum Collegij nostri ignari sunt, fit ut bene agendo (hoc est, docendo, legendo & disputando, quod vehementer in ipsis probamus) nonnunquam

nunquam incautè, non admoniti, contra leges
faciant.

Quod nobiscum Senatus Academiae jampridè
animadvertens, tandem mandato sapientissimo, sub
finem proximè præcedentis anni promulgato, hanc
ἀταξίαν sublatam voluit, decrevitque, ut illi nomina
sua apud Decanum Collegij cujusque profiteren-
tur: & quem auctorem: quoque modo explanaturi
sint, ederent. Deinde ut theses singulis vicibus eidem
Decano, & si argumentum Philosophicum sit, Docto-
ri etiam ejusdem disciplinae; item declamationum
specimina Oratoriae Facultatis Magistro exhiberent.
Præterea ut ne eas sive theses sive declamationes,
quantūvis censas, & approbatas, ullo modo typis
evulgarent. Postremò ut horis tantum extraordina-
rijs, multoq; minus sub Concionibus sacris exercita-
tiones illas privatas tractarent; nec suum tempus esse
statuerēt, si fortè Professor ordinarius aut absens, aut
ægotan, aut etiam certis de causis vacans esset. Hæc
Senatus Academicus sapientissimè decrevit, & o-
mnibus ante paucos menses nota fecit. Quæ omnia
talia sunt, ut nostræ Facultatis statutis ad amussim
ubiq; respondeant, ut postea sole clarius fiet, ubi ex-
scriptæ & repetitæ nostræ Facultatis leges exhibebun-
tur. Ne igitur deinceps ullus eorum sive Magister si-
ve etiam Doctor sit, qui legere, seu docere alios, aut
dispu-

disputare privatim volunt, reperiatur, qui ignorantiam prætexere, & ἀταξίαν in studia Philosophica invehere ausit: visum nobis est, Leges exscriptas Facultatis nostræ de privatis Collegijs tum lectionum, tum disputationum repetere, easque ad immatriculationem, promissionem, exercitationem, & ad Leges, juxta quas ad συβούρειαν Philosophicorum studiorum adhiberi queant, referre. Primò enim qui in Facultate nostra legere & docere voluerint, artium liberalium sint Magistri, & quidem ante annum, vel ad minimum ejus dimidium, promoti: qui que eruditionis suæ specimen per publicam disputationem ediderint, Isti nomina sua edant apud Decanum quos in matriculam Facultatis ordine inscribet. Magistris verò vel etiam Doctoribus, nostræ Facultati non inscriptis, hîc regere, legere, aut disputare, Studiosis etiam tales audire, nequaquã Facultas concedit. Postea receptus ad hanc docendi πραγματείαν, sequentia Decano & Facultati promittat. I. Quod fideliter & pro virili velit consulere honori atque utilitati Facultatis artium, discipulorumque cõmodo, nec nõ pacem & unitatẽ in ea sanctè colere. II. Quod velit consona tradere doctrinæ publicæ, legere textum certi auctoris, & quidem à Collegio permisi, quod velit textum continuare, & singula à capite usque ad calcẽ interpretari. Idem faciant Aristotelis libros ex
pla

planaturi: nec legant vellicatim aut saltuatim, aut
suas collectitias meditationes ad calamum discē-
tium dicent, nullum interea certi autoris textum ad
manus habentes. III. Quod non impediturus sit le-
ctiones vel disputationes publicas. IV. Quod reve-
renter tractaturus sit Decanū, & Professores Faculta-
tis, ijsque obtemperaturus in omnibus, quæ Faculta-
tem concernunt. V. Quod vocatus à Decano com-
parere, & tandem se Decano Facultatis Theologicæ
sistere, ibique religionem suam subscriptione sua atte-
stari velit.

His sanctè promissis & præstitis, admissus
ad *σωεργόν* operam Philosophiæ, liberè docebit alios.

Tertiò, de officio *συμβοήδων* seu adjuvantium Ma-
gistrorum lex Collegij nostri hæc est: Magistros
privatim legentes decet bonum Facultatis pro virili
promovere: eandem domi legendo vel disputando
adjuvare: disputationes ordinarias visitare, & sponte
vel admonitu Decani publicè disputare.

Ultimò, privatarum lectionum & disputati-
onum has habemus leges: I. Quilibet Decanus
omnes Magistros & Doctores in Facultate studia
juvantes, sub initium Decanatus semel convocet. II.
Convocati isti eligant lectiones & exercitia eo semestri
instituenta, ac Facultatis de ijs audiāt judiciū. Citra e-
nim hujus Cōsensum nemo quicquā in Philosophia
aut

aut in linguis legere vel interpretari debet. III. Cum primis Decanū ac Professorē ejus scientiæ, in quamlibet lectionem, quoties ea suscipitur, consentire necessum est. Quare nulla planè significatio ullius exercitij privati fieri debet, nisi ab hisce impetretur venia, & Decanus id sub notatione nominis sui ad programma lecturi, testetur. IV. Electio exercitiorum privatorum discretè instituatur & diversi diversa seligant, ut pleræque Philosophiæ partes eodem tempore prælegantur. Quod si aliquid nondum electum fuerit, Facultas, ut eligatur, providebit. V. Legantur autem privatim iidem auctores, qui publicè prælegi solent: attamen per vices, ne ea, quæ actu publicè leguntur, eodem tempore à privatis lectoribus proponantur. Quia exitiosum est communibus studijs imperitam adolescentiam, ab Auditorijs publicis, in quibus Viri, tum Serenissimi Electoris Saxonix, tum Senatus Academici judicio probati, docent, abduci. VI. Sedulò etiã caveant privati Lectores, ne horas Lectionibus publicis destinatas occupent, cum ijs ad exercitia domestica vacent matutina sexta, & duodecima pomeridiana, totus item dies Mercurij (præter horas, quibus sacræ haberi solent Conciones) & sabbathi VII. Quoties itidē disputatur ordinariè, aut alius Facultatis actus celebratur, nemo legat publicè aut privatim. Denique theses privatarum di-

disputationum typis neutiquam mandentur, nisi ex Professorum numero sit, qui in suæ professionis materia præsidet.

Hæ sunt privatim legentium & disputantium leges, quæ, ut per se sunt æquissimæ, & ob primum earum latorem sanctissimæ: ita studijs Philosophicis magnum usum præstât, tam Professoribus Philosophiæ publicis, quàm extra ordinem legentibus, Studiosisq; Philosophiæ addictis. Professoribus publicis ita istæ commodant, ut scire queant, quos adjutores spontaneos suorum laborum habeant, quidque illi & quomodo singulis semestribus privatim legant, & an telam laborum suorum cum discipulorum fructu absolvant. Lectores autem privati hunc fructum ex hisce legibus capiunt, quòd non nisi approbati à Collegio, studia Philosophica secundum modum sibi præscriptum, adjuvent. Deinde ne per ignorantiam legum exercitia Philosophica turbent. Ad discipulos denique hic usus redit, ut tutius audire possint à Collegio approbatos, ne in modo institutionis in avia exitiosa incauti abducantur, utque discipulos sciant, qui, quas artes privatim interpretentur, quantoque temporis intervallo tota ἐγκυκλοπαιδεία artium, veluti in διαύλω quodam, seu stadio lectionum reciproco, in nostra Academia absolvatur.

Faxit Deus auctor omnis boni, qui radios sapi-

B

entia

entia rerum, à se conditarum, in mente hominis ob-
fuscata, relinquit, & hanc gratam de se famam in ar-
tibus sparsit: ut nos, nostrique *σωτηροὶ* docendo, ado-
lescentes autem pari proposito discendo, D E O &
hominibus mellificium gratum faciamus. Hoc nam-
que jubet noster summus Magistratus, hoc vult Aca-
demix Senatus, hoc deposcit discantium ardor, hoc
efflagitat Ecclesia hoc tempore afflictissima. Va-
lete & studia Philosophica, quæ sunt instrumenta
propagandæ & tuendæ veritatis cœlestis strenuè co-
gnoscite: ac memores estote Origenis, qui, referen-
te Eusebio, suos discipulos ad studia Philosophica
ideo hortabatur, quod absque hisce resistere hæreti-
cis non possent. P. P. Anno Christi cl̄o l̄o c̄v. die X.
Februarij.



*Q*uia spatium aliquod esset residuum, visum fuit, legibus his-
ce Facultatis nostræ, nuperum Senatus Academici decretum
adungere, ut singulis fiat manifestum, Senatum Academiae idem
sentire, eumq̄ in prevaricatores nobiscum animadversurum esse.

PRO-

K

PRORECTOR ET CON- SILIUM ACADEMIÆ VVIT- tebergenfis.

His & in legibus ipsis non uno loco
disertè positum, & diversis temporibus
severè repetitum atque interdum
est, qua ratione operæ priva-
tim docentium, disputantium, ac
declamantium comparatæ esse de-
beant: tamen, quum necessitas ita deposceret, visum
est eadè ista in præsentia breviter inculcare, ut, quo-
ad ejus fieri potest, omnis & ignorantia excusatio
præcidatur, & petulantia protervitas coerceatur. Ita-
que jubemus atque edicimus, uti omnes, qui eam in-
genij & doctrinæ non tam, ut ille ait fiduciam, quàm
ipla quam res exigit, præstantiam habent, ut cõmu-
nia studia privatâ industriâ adjutum ire pulchrû pu-
tent, primùm, ut nomina sua apud Decanum Colles-
gij cujusque profiteantur, & quem Autorem quoque
modò explanaturi sint, edant: deinde ut theses sin-
gulis vicibus eidem Decano, & si argumentum Phi-
losophicum sit, etiã Doctori ejus disciplinæ, itemq;
declamationum specimina oratoricæ Facultatis ma-
gistro exhibeant: præterea, ut ne eas ipsas sive theses
sive

five declamationes, quantumvis censas & approbatas ullo modo typis evulgent: postremò ut horis tantum extraordinarijs, multoq; minus sub concionibus sacris exercitationes illas privatas tractent; nec suum tempus esse statuant, si fortè Professor ordinarius aut absens, aut ægrotans, aut etiam certis de causis vacans sit. Quæ omnia cur observari debeant, causas multas easque satis momentosas habemus. Quas ipsas pluribus explicaremus, si legis esset non jubere, sed suadere, & differere potius, quàm præcipere. Cur tamen disputandi ac declamandi exercitationes typis imprimi, aut publicari nolimus, hanc inter primas rationem habemus, quod illæ exercitationes, quæ à discipulis in literas referuntur, plerunq; luce publica indignæ sunt: sin autem à docentibus præscribuntur, tamen publicatæ hoc habent incommodi, quod parentibus, aut patronis fucum, ac fraudem faciunt. In eam enim opinionem discedunt boni illi viri, liberos & clientes suos optimè tempus ac sumptus collocare, & usque adeò & tam solidè doctos, ac disertos per se esse: quos sæpe constat, artium ac linguarum ne prima quidem rudimenta, nisi fortè per somnium, didicisse. At ipsi pennis istis alienis, & non rarò etiam furtivis exornati, cristas altè tollunt, se mirificè suspiciunt, ac jactant: & sibi tantum non pavones quidam, aut potius aquilæ videntur, cum re ipsa nihil aliud sint, quàm merigraculi. Id quod rei & literariæ & publicæ, quanto detrimento ac dehonestamento sit, experientia loquitur ipsa. Hac igitur & singula & universa ita, ut dictum est, deinde semper fiant: aut qui contra fecerit, sciat, se facti sui contumaciam gravi ac severa animadversione jure merito luiturum. Promulgatum

Dominica prima Adventus, M. DC. V.

F I N I S.

Ye 3447

ULB Halle 3
003 033 120




Sb.

V317


03, 2001 Bd.





Or
FES
SE
D
Ty

in acad. Witten
UIS
RO-
IFA-
mia
s, qui
vata



41

16

42

4, 46

